



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Capitularia Regvm Francorvm**

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

XXI. Ad eosdem, per Adalardum Abbatem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

exspectatione, secundum quod cum fidelibus suis invenerit quod Dei voluntati & ejus fideliumque suorum honori non sit indignum, propter Deum & nutrimentum Domini & genitoris sui ac illius, & servitum illi à vobis impensum, hoc vobis adsentire non contradicit.

V.

Mandat vobis ut memores sitis Dei &

vestra Christianitatis & nutrimenti genitoris ejus & sui & debita fidelitatis & regni supervenientis periculi, studeatis vos fideles sanctæ matris Ecclesiæ & sui unanimes fieri, & omnipotens Dei voluntatem ac illius fidelitatem communemque salutem simul cum ipso fideliter explere ad resistendum inimicis & Christiani nominis persecutoribus.

## TITVLVS XXXI.

Ad eosdem, per Adalardum Abbatem.

ISTVM MISSATICVM TRANSMISIT DOMNVS  
Rex glorioſus Karolus per Adalardum Abbatem & Richinum  
& Rodulfum & Berengarium.

CAP. I.

**M**Andat vobis senior noster salutes, & mandat vobis quia quicquid in vestra causa secundum consilium suorum fidelium melius & honestius invenire potuit, per suos fideles & sua capitula jam per duas vices vobis mandavit.

I.

Mandat vobis quia sicut per illos suos fideles & per eadem capitula vobis innocentia, sic vult erga vos adtendere & obseruare. Et si vos adhuc talem causam eum postulare volueritis que ad suum honorem & ad vestrum profectum pertineat, paratus est etiam in hoc secundum vestram petitionem facere juxta consilium fidelium suorum.

III.

Mandat etiam ut recordenimi Dei & vestra Christianitatis, & condoleatis atque compatiamini huic sanctæ Ecclesiæ, qua & à vobis & ab aliis miserabiliter est oppresa & depradata, & qua crudeliter ex altera parte persequitur à paganis. & non vos dislocietis ab unitate & unanimitate fidelium Dei, sed acceleretis praesentaliter vos illi adunare & conjungere aliis Dei suisque fidelibus ad defensionem sanctæ Ecclesiæ & suam fidelitatem.

IV.

Si autem dicitis vos propter pares vestros, qui praesentes non sunt, hoc non posse facere, mandat ut vos qui in præ-

fentiarum estis tales securitatem ei faciat ut non propter aliam causam hoc dimittatis quod per nos vobis mandat, nisi propter illos vestros pares qui praesentes non sunt. & facite ei securitatem ut illos vestros pares ad Dei servitium & ad suam fidelitatem, in quantum potueritis, exhortemini & convertatis, & si illos converti non potueritis, vos ab ejus servitio non vos subtrahatis, quoniam si omnes converti ad illum volueritis, paratus est vos omnes secundum sanctæ Ecclesiæ utilitatem & suum honorem & vestrum communem profectum recipere & salvare & honorabiles semper habere, & nulli unquam imputare, in quantum ad se pertinet, quicquid neglegenter factum habetis de ejus servitio, aut in ista causa contra illum egistis.

V.

Et mandat vobis quia postquam vestram fidelitatem cognoverit, securos etiam vos faciet ex sua parte quod nulli debeat reputare hoc quod erga illum negligenter egit in hac causa; ita tamen si vos quoque erga illum debitum honorem & debitam fidelitatem conservaveritis, sicut Dei sive fideles.

VI.

Et si aliqua pars ex vobis ad ejus senioratum & ad ejus fidelitatem reverti voluerit, similiter est paratus eos benignè recipere & erga illos omnimodis adimplere quæ superius scripta sunt.